

Senatus itaque Augustino Amulio, quem nuper legatum creverat, ut Centumcellas proficisci eretur, & cum foederatis juncta classe Neapolim versus vela daret, præcepit. At Gallorum classe morante, legatus Terracinam progressus tria millia peditum, quibus Horatius Baleonius dux itineris fuerat, triremibus exceptit; atque ut facilius tota ea res ad exitum perduci posset, e Galliis Comes Vademontius advenerat, qui quod ex stirpe Regis Renati ortus esset, antiqua Andegavensis familie jura in Neapolitanum regnum sibi vindicabat; ut maxime sperrandum esset, Neapolitanos vel memoriam prisorum Regum feticentes, vel in Gallorum gentem propensione, præsertim cum novarum rerum appetentes sint, ad classis adventum Vademontium lætis animis excepturos; nam a foederatis vulgatum erat, avitum regnum se Vademontio tradituros, neptemque Pontificis, Laurentii Urbinatum Ducis, filiam connubio juncturos. Universa itaque classis, quæ ex duabus & virginis triremibus constabat, Neapolim versus vela solvit; cum interim Rentius Ceres decem millium peditum copiis terra Apputianorum fines invasurus esset. Andreas Auria, qui primus iter arripuerat, Puteolos aggressus, cum tormentis dispropulsis arceretur, re infecta discedere coactus fuit: mox cum reliqua classis accessisset, oppugnari oppidum maritimum cœptum est, ut tuta aliqua statio subducendis triremibus adesset. Itaque mœnia quassata, ac dejecta globorum vi locis aliquot fure, milites in continentem excendere, terra, marique adoriri. Paulus Justinianus Trierarchus Venetus primus cum suis per murorum hiatus oppidum ingressus est; illum ceteri sequuti, captum, direptum, statimque arx ditione in nostrorum potestatem pervenit. Quo prospero rerum eventu populorum percussæ, ac consternatae mentes, quocumque foederata classis fese ostenderet, cuncta maritima oppida ultro se dedere; si qui obsistere audebant, vi, atque armis cogebantur, ut Surrentinis evenit. Itaque brevi tota maritima ora potita est, ac prope Neapolim, caput regni, pervenit. Interea Ceres Neapolitanos fines ingressus, Truento amne trajecto, Aquilæ oppidum, Taliacotii, Marsorum, Albæ, & Celani comitatus in suam potestatem redegerat.

Prosperis his eventibus elatis nostrorum animis, in spem

H. Mauroceni T.I.

O ve-

1527  
Augustinus  
Amulius le-  
gatus ad  
Terracinæ.

Vademontio  
Comitis in  
Italianam  
adventus.

Paulus  
Justinia-  
nus Vene-  
tus Trie-  
rarchus  
Puteolos  
ingreditur.

Fœderato-  
rum conſi-  
lia de Nea-  
poli oppu-  
gnanda